IN CORNELII TACITI ANNALIVM LIBROS



AEMYLII FERRETTI IVRISCONSVLTI ANNOTATIVNCVLAE.

*



LVGDVNI APVD SEB. GRYPHIVM,
1541.

THOMAS SERTINVS FLORENTINVS LECTORI S. P. D.

*



VEMADMODVM nullum esse arbitror scriptorem rerum gestarum præferendum Cornelio Tacito, siue similitudine temporum nostrorum, siue grauitate sententiarum, & peritia aulici regijq́; moris: ita nullus mihi uidetur aut genere dicendi presior, ac difficilior, aut iniuria temporum hominumq́; corruptior, atq; contaminatior. Quamobrem ut utilitate ad legendum ducamur, difficultate mediusfidius operis, ac uitio codicum deterremur: quæ me duæ res, maximè cupidum illius, uarie, diutissimeq́; distraxerunt. Cùm autem, quanta est nostra amicitia multis confirmata mutuis officijs, rem detulissem ad Aemylium Ferrettum, uirum cum in iure ciuili doctissimum, atq; exercitatissimũ, tum in cæteris bonis artibus perdiligenter uersatum: obtulit ille mihi annotatiunculas quasdam (ut ipse tunc dixit) non ostentui, sed utilitati iamdiu ueluti sibijpsi paratas, quibus loca propè omnia difficilia explicauit: restituit multa, quæ incuria librariorũ fœdè erant deprauata; atq; nihil ferè (ut summatim

dicatur) omisit, quod remorari lectorem potuerit; nisi quae manca adeo, & lacera erant, ut sanari nulla ratione potuerint: de quibus tamen admonet lectorem, & sunt perpauca. Has igitur breues notas cum utiles uel potius necessarias iudicassem studiosis Cornelij, aedi curaui: nihil magis inuidiosum existimans, quàm sibi ipsi consulentem, hominum aut negligere, aut occultare utilitatẽ. Puto autem, lector candide (si postquam has notas legeris, subibunt animum, quae prius aut planè inaccessa, aut certè difficilia in Taciti Annalibus ad intelligendum loca iudicaueras) omnino futurũ, ut cognoscas me in ijs aedendis consuluisse communi commodo: cui non inseruire Christianum hominem, proximum esse summo sceleri semper sum arbitratus,

AEMYLII FERRETTI IVRIS CONSVLTI IN CORN. TACITVM ANNOTATIVNCVLAE.

EX LIBRO I.

Adulatione deterrerentur. 1



XCITANTVR *potius ingenia eorum, qui adulantur; facilè mendacio subministrante materiam scribendi: consumuntur tamen, & exeduntur, & corrumpuntur adulando.* Itaq; *legendum arbitror,* Detererentur: *uocabulo uulgò notißimo.* Idem *Corn. infra lib.18. Si quid, inquit, ardoris ac ferociæ miles habuit, popinis, & comessationibus, & principis imitatione deteritur.*

Quorum causas procul habeo. 2

Causæ iræ, atq; studij, sunt odium, & amor. Idem *Cornel. infra lib.17. Sed incorruptam fidem professis nec amore quisquam, & sine odio dicendus est.*

Triumuiri nomine. 3

Vt *triumuir appellaretur: postea uerò princeps appellabatur. suprà pauló:* Nomine, *inquit, principis im-*

perium accepit: ut principis nomen, fuisse uetustius in eo, qui rerum potiretur, Imperatoris appellatione. Idem sequenti pagina: Principis, ait, nomine constitutam Remp.

Princeps iuuentutis. 4

Gradus hic erat principis informandi, & ueluti designati iam atq; electi: quod hodie in Imperatoribus, regis est Romanorum: in regno Galliæ, Delphini: in Hispaniæ, Principis.

C. Nauum id Cæsari. 5

Id, sup. arbitror.

Iuxta periculoso. 6

Sensus est, Cum æquè esset periculosum, seu uerum dicere, seu fingere falsa.

Ne arcana domus. 7

Hoc est, Ne palàm inuulgarentur, quæ domi secretò tractabantur: quid, & à quibus consuleretur principi: cur aliquid fieret ministerio militum.

Quàm si uni reddatur. 8

Ratio scilicet imperandi.

Neu tristior primordio. 9

Malim tristiores, ut sit sensus: Ne læti morte Augusti, neúe tristiores ingreßo Tyberio ad principatum partim illachrymabantur, partim gaudebant, &c.

Nam Tyberius cuncta per Coss. incipiebat. 10

Quamobrem omnes apud Coß. iurauere in uerba Tyberij.

Tribunitiæ potestatis præscriptione. 11

Nomine, tituló ue.

Dabat

Dabat & famæ. 12

Volebat etiam ut crederetur.

Nam uerba, & uultum in crimen detorquebat. 13

Verba cuiusq; uultumq́; notabat: eaq́; in id accipiens, ut mali in se esse animi signa crederet: reponebat animo, depromptururus ex occasionibus.

Diem illum crudi adhuc seruitij. 14

Diem scilicet, cum seruitium ferè tunc inciperet, & libertas repeteretur infeliciter: ab alijsq́; facinore peßimo, ab alijs honestißimo, uideretur occisus Cæsar Dictator: quo die turbatum fuit funus eius: sed comparandum haudquaquam cum hoc: tunc enim recens erat principatus, facilis restitutio libertatis: nunc senem, &c. Legimus autem in codicibus uetustißimis non, improspera repetita: *ut uulgò habetur: Sed,* improsperè repetitæ: *scilicet, libertatis.*

Numerus etiam. 15

Fuit Augustus Consul terdecies: cum Valerius Coruinus sexies consulem, & C. Marius septies egerint. testis Cicero in Officijs. Qui coniuncti, numerũ æquant consulatuum Augusti. ideoq́; ait, simul æquauerat.

Multiplicata aut noua. 16

In eandem fermè sententiam Tranquillus: Magistratus, inquit, atq; honores & ante tempus, & quosdam noui generis perpetuosq́; cæpit.

Necessitudine. 17

Neceßitate, uerbo uetusto, & quo frequentißimè usus fuit Sallustius.

Multa Antonio tunc. 18

Eam dictionem, Tunc, culpa librariorum huc irrepsisse suspicor: & in duas, Vt, esse uertendam: quarũ hic una manebit: alia transferetur in alium qui paulopost subijcitur locum, quàm ab uno regeretur: *ut sit*, quàm ut ab uno regeretur.

Obtentui sumpta. 19

Fuisse prætextum.

Tedíj & Vedíj Pollionis. 20

Tedios, & Vedios nusquam legi: præterquam quòd idem Cornel. infra lib. 12. Mathios, inquit, & Vedios, & cætera equitum Romanorũ præualida nomina. ubi pro, Mathios, *inusitata omnino uoce* Romanis, *legendum fortasse est*, Tedios.

Necessitates ac largitiones. 21

Quæ necessario essent eroganda, & quæ sponte donarentur. Idem infra libro 13. Necessitatem appellauit erogationum.

Sed & sua conf. 22

Malim, ut & sua.

Quinam adipisci. 23

Hoc est, cum tractaret, qui possent sufficere imperio, & nollent: qui non possent, & uellent: qui postremò possent, & cuperent.

Non adesse apud te. 24

Legi in codice Medicæo, longè omnium quos legerim emendatißimo pro, Apud te, Caput.

Vbi per nomen agrorum. 25

Per speciem accipiendorum agrorum, & tanquam pro agris.

Denis

Denis in diem aſsibus. 26

Et paulopòſt, Vt ſingulos denarios mærerent. *ex quibus fit planiſsimum, denarium pluris fuiſſe quàm* x. *aſſes: & in ſequẽtibus,* Vt denarius diurnũ ſtipendium foret. *Cùm enim* x. *aſſes ſinguli reciperent, & denarium cuperent, conſtat* x. *aſsibus plus ualuiſſe denarium: quod eo magis miror, quia Plin. li.* 33. *cap.* 3. *In militari, inquit, ſtipendio ſemper denarius pro* x. *aſsibus datus.*

Intus operis. 27

Medicæus codex, Inuictus operis, *habet.*

Quoſdam ipſi manipuli fidei documen. trad. 28

Veluti pignus & teſtimonium fidei.

Vnda raptabantur. 29

Inſuetè de imbre.

Præſentia ſatis conſiderant. 30

Conſederant, *malim.*

Legata quæ petiuerant. 31

Ad id refertur, quod ſupra ſcripſit de Auguſto: Legata non ultra ciuilem modum, niſi quòd populus Roma. &c.

Latera concædibus munitus. 32

Non habet, Munitus, *quò referatur: itaq; malim,* munit. *Sunt autem* Concædes *ex Cæſaris cõmentarijs munimenta caſtrorum ex arboribus ſyluaq; facta.*

Inceſsitq; itineri & prælio. 33

Agmine ita inſtructo, ut ad iter aptũ eſſet, & ad bellum.

Leues cohortes. 34

Hoc opponitur denſis.

Vt opus & alij. 35

Id est, ut alij opus castrorum, alij prælium inciperent.

Decumana porta. 36

Hæc porta quòd auersa esset hostibus, maxima erat portarum: ideoq; dicta Decumana, *ueluti fluctus decumani, magni sunt, autore* Sexto.

Odia in longum iaciens. 37

Ex *præsentibus futura proponens, ex quibus causæ odij nascerentur: quæ quoniam in longitudinem respiciebant, recondebat animo* Tyberius: *itaq; augescebant alita cogitationibus: promebanturq́; tandem multiplicata & inexpectata.*

Breuia à profundis. 38

Hæc inter se opponuntur. Idem *infra libro* 5. Pulsoq́; *introrsus freto breuia littorum nudantur. hoc est, minime profunda.*

Nox uox &c. 39

Melior omnino lectio est, Nec uox, & mutui hortatus iuuabant.

Aerarij prætoribus. 40

Præfectos intelligit: nam prætoris nomen in eo manet qui præest tribunali, & iurisdictioni.

De modo Lucaris. 41

Lucar, inquit Sext. *appellatur æs, quod ex lucis capitur: & lucaris pecunia, quæ in luco dabatur. Hîc uerò præmium significat, & æs, absolute.*

EX LIBRO I I.

Gentis Arsacidarum. 1

Familia erat, & genus: quale Romæ *primò* I*uliorum,*

deinde

deinde Claudiorum, postremò Flauiorum: unde Iustinianus Flauius inscribitur.

Vilissima utensilium anulo clausa. 2

Obsignabāt enim etiam quæ uilissima essent, ne quid furto negligentia'ue periret: quod Barbari indignum rege existimabant.

Ignotæ Parthis uirtutes. 3

Sensus est, contemptui fuisse Parthis noua uitia, lecticæ scilicet gestamen, segnis equorum cura, rara uenatio, & similia: nec minus prompti aditus, obuia comitas, uirtutes ignotæ Parthis: quæ quoniam maioribus eorum aliena fuerant, perinde odio habebantur omnia: æquè enim oderant & ignotas suis uirtutes, & noua Romanorum uitia.

Quanquàm sociatis. 4

Coniunctis matrimonio inter se. Suetonius August. Reges socios etiam inter semetipsos necessitudinibus mutuis iunxit.

Viditq; se operatum. 5

Sacrificio facto. Cornelius alibi tamen accipit Operatum, pro eo qui dedit operam, infra libro 3. Studijs ibi operatum. Columella de Re rusti. Si rebus Venereis fuerit operatus, uel uir, uel fœmina.

Non campos modo. 6

Non solùm campos & plana apta esse militi Romano, sed syluas etiam, & saltus, si ratio adsit: nec posse uti Barbaros inter trūcos arborū & uirgulta scutis, & ingētibus hastis,

hastis tam commodè, quàm Romanum militem pilis, & gladijs, & tegminibus hærentibus corpori: ideoq; densarent ictus. &c.

Aliud sibi reliquum. 7

Nihil, intellige.

Firmius Catus Senator. 8

De hoc eodem infra lib. 4. Eadem pœna in Catum Firmium, &c.

Cùm diuersa prætenderent. 9

Eadem omnes formidabant: causas autem adducebant uarias, cur excusandi essent.

Mancipari singulos actori publico. 10

Addici publico actori. Idem infra lib. 3. Seruos quoq; Syllani ut tormentis interrogentur actor publicus mancipio acceperat. Cùm enim quæstio olim de seruis haberi non posset in caput domini: addicebantur alteri, ut in priorem dominum torquerentur. Sed Actor publicus erat seruus publicus, qui publicis tabulis, publicisq; rebus præponebatur: de quo latè scripsi in meis commẽtarijs ciuilibus: unde scire licet, cur alibi Seruus publicus, alibi Actor publicus, alibi Persona publica appellatus sit.

Quasi auretur. 11

Aliàs, augeretur.

Eandem uim in me transmerei. 12

Aliàs, transmittere.

Centesimæ uectigal. 13

De hac idem supra lib. 1. Centesimam rerum uenalium post bella ciuilia institutam deprecante populo: edixit Tyberius militare ærarium eo subsidio niti. Dicta est autem

tem Centesima, quòd in singula centum, quæ pretium rerum uenalium faciebant, unum in uectigal principis contribuebatur.

Et transfugis paulatim nudatus. 14

Hoc eò pertinet, quod supra proximè legitur: Ni Inguiomerus cum manu clientum ad Maroboduum perfugisset.

Magnetes à Sipylo. 15

Plinius libro 5. c. 29. Smyrneum conuentum, magna pars Aetoliæ, quæ mox dicetur, frequentat: præterquàm Macedones Hyrcani cognominati, & Magnetes à Sipylo.

Libero, Liberæq; & Cereri. 16

Liberum Patrem & Proserpinam, filios Cereris, per Liberum & Liberam intelligimus.

Cæsariq; connexa. 17

Sanguine proxima atq; coniuncta: quippe quòd neptis esset sororis Augusti. Itaq; legendum arbitror infra libro 4. Connexus, *non* Connixus, *ut uulgò habent Codices. Publium, inquit, Dolabellam socium delationis extitisse miraculo erat: quia claris maioribus, & Varo connixus, suam ipse nobilitatem, suum sanguinem perditum ibat.*

Adulterij grauiorem pœnam. 18

Capitis scilicet.

Namq; ei, ut memoraui, auunculus Augustus, &c. 19

Proximè hoc eodem libro: Claritudine, inquit, materni generis Germanicus Drusum fratrem anteibat: auum M. Antonium, auunculum Augustum ferens. Est autem

autem Auus, (ut ſcribunt Caius, & Paulus de Gradi-bus) Patris & matris pater: Auunculus uerò matris fra-ter. Sed Auus hic ſignificat maritum Auiæ: fuit enim Ger-manicus, autore Tranquillo, uxoris Auguſti nepos. Ne-ptes, ait, duas Iuliam & Agrippinam habuit: Iuliam, L. Paulo Cenſoris filio: Agrippinam, Germanico uxoris ſuæ nepoti collocauit.

Areo iudicio. 20

Vicus erat à Marte Athenis dictus Areopagus, ubi de capite iudicia exercebantur: quamobrem Areum iudi-cium, *dixit Cornelius, tanquàm capitis iudicium.*

Principis Romani, non Parthi regis filio. 21

Apud Cornelium infra libro 17. Galba Piſonem ado-ptans, Neq; hic, inquit, ut in cæteris gentibus, quæ re-gnantur, certa dominorum domus, & cæteri ſerui: ſed im-peraturus es hominibus, qui nec totam ſeruitutē pati poſ-ſunt, nec totam libertatem. Sentiebat igitur Piſo in dandis coronis non adeo magnum fieri oportuiſſe diſcrimen in-ter ſe & Germanicum: quàmuis enim principis filius eſ-ſet Germanicus, tamen eſſe eius principis, qui non ſubie-ctos ut ſeruos, ſed regendos ut liberos & amicos ciues ſuos accepiſſet. Itaq; non dari epulas filio Parthorū regis omnium domini: ſed filio principis Romani, amico, & propè æquali cum ciuibus iure uiuenti.

Non ſponte principis. 22

Non uoluntate & permiſſu principis. Idem infra li-bro 4. Extructa iam ſponte præfecti caſtra: hoc eſt, iuſ-ſu Præfecti. Et alibi: Proxima ſponte inimicorum rece-pta. id

pta. id est, uolentibus inimicis.

Seposuit Aegyptum. 23

Sensus est, uoluisse Augustum neminem illustrem, nisi concessu principis ingredi Aegyptum: ob eam causam, quòd quicunq; eam prouinciam occupasset (quoniam claustra ueluti esset terræ, ac maris, quæ paruo præsidio contra ingentes exercitus teneri ualerent) posset facilè fame premere Italiam: Aegypti autem fœcunditas est multo maxima: ideoq; Cornelius infra lib. 19. eam appellat claustra annonæ, & uectigal prouinciarum: & alibi, annonæ fœcundam. Idem libro 12. At hercule, inquit, olim ex Italiæ regionibus longinquas in prouincias commeatus portabantur, nec nunc infœcunditate laboratur: sed Africam potius, & Aegyptum exercemus: nauibusq; & casibus uita pop. Roma. permissa est.

Ne si quando insolescant Sueui. 24

Mallem siquando, circunscriptis duabus illis prioribus literis.

Infelici fœcunditate fortunæ toties obnoxia. 25

Toties enim poterat in fortunæ iniurias incurrere, quoties pepererat.

Sexaginta dies ad consultandum datos. 26

Sexaginta dies (ait Papinianus) qui marito accusanti utiles computantur: feriatis quoq; diebus, si modò facultatem Præsidis adeundi accusator habuit, numerari certum est.

Ea superstitione infecta. 27

Superstitionem Aegyptiam & Iudaicam nemo hic du-

bitet

bitet cultum Deorum, sectamq; Aegyptiorum ac Iudæorum significare. Corn. infra lib.21. tractans res initiaq; Iudæorũ: Postquàm, inquit, Macedones præpotuere, rex Antiochus demere superstitionem, & mores Græcorum dare adnixus. quamobrem arbitror Vlpianum in titu. de Decurionibus, sensisse Iudæos non prohiberi esse decuriones, non autem retulisse rem ad Christianos. Verba illius hæc sunt: Eis qui Iudaicam superstitionem sequuntur, diui Verus, & Antoninus honores adipisci permiserunt.

Statuit frumento pretium. 28

Hoc est, certum pretium statuit, quod ab emptore solueretur: sed ipse in singulos modios binos nummos daturum se spopondit.

EX LIBRO III.

Quid pro tempore foret. 1

Quid esset accommodum tempori.

Diuersa oppida. 2

Deuia oppida.

Indices & testes. 3

Valde interest inter utrosq;. Pedianus scribit, Indicẽ esse, qui facinoris, cuius ipse est conscius, latebras indicat, impunitate proposita. Sed Indicium equidem arbitror ad id pertinere, quod coniectura assequimur, & suspitionibus: & quod crimẽ non probat, sed indicat. Testimonium uerò dicimus de rebus uisis: aut auditis: ex quibus crimen non indicatur, sed probatur. Corn. infra lib.15. de Sceuino & Milicho: Fomesta, inquit, uulneribus nulla uiso suo: Sed quia cætera dalàm uana obiecisset, adiungere crimen uisum,

uisum, se pariter iudicem & testem facere. Abutuntur tamen interdum scriptores.

Senatus nunquam satis credito sine fraude Germanicum interiisse scripsissent. 4

Lacunam hic esse necesse est, desunt enim quaedam, quae suspitione & coniectura restitui possent: sed sine emendatioris ope codicis temerarium esset.

An adhuc experiretur. 5

Experiri dicitur tam actor, quàm reus: sed saepius ad actorem pertinet. Est autem ad iudicem ire, aut in alium, aut pro se.

Cùm militari custodia haberentur. 6

Rei aut in uincula ducuntur, aut militibus traduntur, quae militaris custodia dicitur: aut fideiussoribus creduntur: aut sibiipsis, fide accepta non abituros: quae libera custodia dicitur. Horum autores Vlpianus & Martianus.

Illustrium domuum aduersa. 7

Subolet hìc deesse nonnihil: ibiq; finem esse periodi, à lepida petitum.

De moderanda Pappia poppea. 8

Lex haec est, de qua sensit Tranquillus Augusto: Leges retractauit, & quasdam ex integro sanxit: ut Sumptuariã, & de Adulterijs, & de Pudicitia, de Ambitu, de Maritandis ordinibus. Hanc cùm aliquanto quàm caeteras seuerius emendasset, &c. Continebatur autem lege Pappia, ut decima eius, quod legabatur à uiro uxori,

 & econ

& econtra, ſi non extarent liberi, ex eo matrimonio ad fiſcum perueniret. Quamobrem & cælibatus puniebatur, & augebatur ærarium. Ex quo paulopoſt ſubijcitur: Et lege papia poppæa præmijs inducti. ubi lacuna eſt proculdubio: deeſt autem ſenſus huiuſmodi: Et mulctati legatorum decimis, alijsq; pœnis, ut ſi à priuilegijs parentum ceſſaretur: hoc eſt, ut ſi nollent habere præmia parentum, uelùt parens omnium populus, &c.

Attamen initia faſtigiorum. 9

Attamen id fuit initium Cæſaribus ad ſummum faſtigium, & tunc petente Auguſto priuignis Tyberio, atq; Druſo quæſturam ante tempus, & ſolutionem xxuiratus, reſpiciebant homines ferè ueterem morem: præcipuè quia minor erat cauſa, leuiorq; coniunctio ſanguinis Auguſto cum Tyberio & Druſo, quàm Tyberio cum Germanico.

Siue ut amoto patre Druſo. 10

Hîc omnino deſyderatur alia portio alternatiuæ orationis.

Oratorum ætate. 11

Malim, ea ætate.

Oppijs quondam. 12

Oppiam legem tulit C. Oppius in medio, ut ait Liuius, ardore Punici belli notiſsima contentione M. Portij Catonis. per oppias autem & illam, et alias haud abſimiles, ſignificauit.

Dum ædificationibus. 13

Pro eo quod eſt, emendandis rebus: niſi in uerbo mendum ſit.

Multiq;

Multiq́; etiam pedarij ſenatores. 14

Pedarij dicuntur, autore Gellio, ex commentarijs C. Baßi, qui nondum geßiſſent curulem magiſtratum, quòd pedibus itarent in curiam.

Promiſit Cæſar, recitauitq́; decretum. 15

Prompſit Cæſar, *aliàs.*

Vt Pontificis Maximi arbitrium, pluſquam, &c. 16

Ita legendum arbitror, Vt pont. Maximi arbitrium, dum ne plusquàm binoctium abeſſet: ne diebus publici ſacrificij, neu ſæpius, &c.

EX LIBRO IIII.

Neq; ſenatus ambitu abſtinebat. 1

Ea largiendo, quæ ambitu & precibus ab ſenatu impetrari conſueuerant.

Neq; multo ſecus in ijs uirium. 2

Senſus eſt, Quæ prouinciæ idoneæ eſſent auxilijs dandis, habebant Triremes ſocias, & alas & cohortes auxiliares: in quibus non minus erat uirium, quàm in cohortibus ſuis. ſed illud erat incertũ: quia ex utilitate temporum huc & illuc meabant, augebanturq́;, & minuebantur.

Et ultor metuebatur. 3

Scilicet, Druſus.

Quæ prima & apud filium. 4

Malim Ei, *facili tranſitu unius literæ.*

Nam patritios confarreatis paren-
tibus. 5

Plinius lib.18. Quin & in sacris, inquit, nihil religiosius confarreationis uinculo erat: nouæq; nuptæ farreum præferebant. Constat autem ex hoc loco, peruetustas ualdeq; fuisse difficiles cerimonias contrahendi matrimonij per confarreationem. De hoc Boëtius in Top. Cicer. lib. ij. prope initium.

Cum æquabili autoritate, &
gratia. 6

Aequè ualebat apud Tyberium autoritate & gratia.

Quin ipse comperi. 7

Cæsari, cùm in sæuitiam laberetur, eluctabantur ferè uerba & erumpebant, tanquàm ui coacta, & composita: quoties subueniret solutius, &c.

Catus ut retuli Libonem. 8

Hic est Firmius Catus Senator, qui Libonem iuuenem improuidum & amicum ad Chaldæorum promissa impulit, eundemq; accusauit. de quo supra lib. 2.

Lege Iulia damnasset. 9

Cogita. Qua capite puniebantur adulteri.

Dentheliatem agrum. 10

De Limenetide Diana nihil me legisse memini: scio tamen ex probatis autoribus, oram illam terræ, quæ in Messenios spectat, abundare templis Dianæ, Veneris, ac Neptuni. Strabo uerò libro 8. ita scribit; Dianæ palustre templum in Laconicæ, siue Messeniæ terræ finibus est: ubi uterq; populus commune sacrificium cõuentumq; celebrabat: in eum profectas feriatum uirgines Messenij procaciter incesserant. Cùm autem Messenij uiolatores

nullis

nullis pœnis multassent, conflatum est bellum inter utrunque populum: frequenterque dimicatum fuit. Fortasse igitur appellauit Corn. Dianam Limenetidem, tanquam stagneam: λιμνῆτις enim stagnea est, siue palustris: et legendum erit Limnetidis, non Limenetidis. Dentheliatis agri autem à nemine, quem legerim, mentio facta est, quantum modo recorder.

Vbi specie studiorum. 11

Strabo est autor, post bella ciuilia consueuisse Romanos mittere liberos suos Maßiliam, ad Græcas disciplinas discendas.

Fossam loricamque contexens. 12

Lorica Vitruuio sepimentum est.

Esse in ciuitate. 13

Inter hæc, & illa uerba, Germanici coniugem, neminem arbitror esse, qui aliquid non desyderet.

Eques Romanus præter Seianum. 14

Aliàs, Nullus eques Romanus, &c.

Claris maioribus quàm uetustis. 15

Id est, clarioribus, quàm uetustis. Vlp. similiter: Cùm posset talem causam non suscipere, quàm decipere. Et alibi: Alioqui compelletur iudicium accipere, quàm inuenire eos poßit. Terent. Si quisquam est, qui se placere studeat bonis quàm plurimis: nam Plurimorum uerbo Mali significantur. autore Non. Marcello.

Qui dux gentis Ethruscæ cum auxilium appellatum tauisset. 16

Malim, ductauisset.

Egens aduersus proximos. 15

Aliàs: Etiam aduersus proximos.

Terga urorum. 16

Vri sunt haud absimiles boum, colore nigro, feri, & cursu excellentes, familiares Germaniæ. autores Cæsar, & Plinius. Hi fortasse sunt, quos Pisis Bufalos appellant uulgò.

Donec idque uetitum. 17

Què, *pro eo quod est,* quoque: *quasi,* Id quoque uetitum.

EX LIBRO V.

Mater impotens. 1

Supra libro primo de eadem impotentia muliebri.

Sed paratos ad ultionem ui principis impedire testarentur. 2

Maxima hic rerum multarum facta iactura est: præsertim de Sciani consilijs in Cæsarem, domumque Cæsaris, & cæde illius, atque suorum.

Sellariorum & spintriarum. 3

Sellaria loca sunt à sellis dicta, ubi domi sedebant, qui de re aliqua conuenerant, apud Plinium. Sed accipi consueuit pro Fornice, locisque uoluptuarijs. Martial. In sellariolis uagus popinis. *quòd ibi ferè sedendo uoluptatibus detur opera.* Hoc autem *significat hic, dum ait,* Ex fœditate loci. *Spinthrias uerò aliter Cornelius, aliter Tranquillus accipiunt: hic enim ex multiplici patientia ductum putat uocabulum, ille autem inquit, monstrosi concubitus repertores, quos Spintrias appellabat.*

Ablata

Ablata ærario ut in fiscum coge-retur. 4

Aerarium, populi Romani est: Fiscus, Imperatoris. infra paulò pòst: Signatum argentum fisco, uel ærario attinebatur.

Nouendialem eam cœnam. 5

Nouendiale sacrum erat mortuorum: itaq; accusatus fuit, quòd natales Augustæ epulas, cœnam mortuorum appellasset: tanquam fuisset is ortus feralis atque exitiabilis.

In cohortem suam. 6

Inter suos comites recepit. Alibi dixi multa de cohorte.

Scauro Mamerco simul ac Sabino. 7

Hoc est, unà cùm Scauro Mamerco.

Quo per discessionem facto. 8

Senatusconsultum (ut scribitur à Gellio libro 14.) fit duobus modis: aut per discessionem, si consentiretur: aut, si res dubia esset, per singulorum sententias exquisitas. Corn. infra lib. 13. Postquam discessionem Cons. permiserat, pedibus in sententiam eius iere.

Nihil ad serium. 9

Nulla re seria illi coniunctus: prodigentia duntaxat, & uitæ mollitie, &c.

Ambigens patriam & declinans. 10

Quid si legas, ambiens.

Sed creditores insolidum appellabant. 11

In summa inopia rei nummariæ, cum nō haberēt debitores

tores unde soluerēt, duabus quidem fœnoris partibus satisfaciebant agris tradendis ex Sen. Cons. reliquū uerò uel agros similiter occupaturum erat, uel apud debitores residebat. Itaq; solidum petebant ex agris sibi solui creditores, negantibus debitoribus propter agrorum uilitatem. Cum autem nollent magistratus minui fidem: hoc est, uellent omnibus integrum solui: ita primum concursatio, &c.

Quantoq; sæuitia gliſceret. 12

Quanto maior erat sæuitia in damnatos, eò minus misereri poterant affines, propinqui, proximi, amici.

Obijt eodem anno M. Lepidus. 13

Cum ait, in prioribus libris, quartum librum indicat, huic proximum, atq; coniunctum: quamobrem suspicor culpa temporum ex libro 5. & 6. unum extitisse nobis quintum hunc librum: præsertim cùm omnia desiderentur, quæ ad Seianum pertinent: quæ longo ordine uerisimile est pro diligentia & cura scriptoris tractata fuisse: ideoq; supra de Agrippina: Eodemq;, inquit, die defunctam: quo biennio antè Seianus pœnas luisset. Et infra: Quanquam triennio post cædem Traiani. De quo, quamuis exiguo, et propè contemnendo, admonitum tamen esse lectorem uolui.

Quorum ſcæptuchi. 14

Scæptrigeri (ut ita dicam) quod ad principes, regesq; refertur.

Suouetaurilia. 15

Lustrabatur exercitus mactatis sue, oue, taurisq; tribus: ut autor est Liuius li. 1. Inde nomen compositum fuit à Corn. Suouetaurilia.

EX LIBRO XI.

Caueri uim. 1

Aliàs, Caueret uim.

Lege lata sæuitiam creditorum coercuit. 2

Dabatur olim fœnori pecunia adulescentibus, collata solutione in mortem patrum: quod uel fœnoris magnitudine, uel ob turpitudinem faciebant fœneratores. Claudius autem interdixit ne quisquam filijs familias fœneraret in mortem parentum: quod deinde Senatusconsulto confirmatum fuit Vespasiano imperante. Tranquillus: Autor senatui fuit decernendi, ne filiorumfamilias fœneratoribus exigendi crediti ius unquam esset: hoc est, ne post patrum quidem mortem. Id Senatusconsultum Macedonianum appellatum est.

Et formæ litteris Latinis. 3

Plin. lib. 7. ca. 58. Veteres Græcas fuisse easdem penè, quæ nunc Latinæ, indicio erit Delphica tabula antiqui æris, quæ, &c.

Inter Mosam Rhenumq́. 4

Ter ea tentata res est, quantum me legisse memini, sed non ijsdem locis: causa tamen semper eadem manente. Primum à Corbulone, qui tantum cogitauit, ut incerta occeani uectarentur Rheno ad ea loca, quæ Mosellam contingebant. Deinde à L. Vetere, qui cōiungere instituit Mosellam atq; Ararim: ut mari copiæ primum, inde Rhodano, & Arari, & Mosella, & Rheno in occidentem ueherentur. De L. Vetere idem Cornelius lib. 13. Vetus, inquit, Mosellam atq; Ararim, facta inter utrunq; fossa, cōnectere parab

re parabat, &c. sed Helij Gracilis, Belgicæ legati inuidia factū est, ne id efficeret Vetus. Postremò Carolus Magnus, Rex Francorum, duo flumina Radantiam & Alemoram inter se coniungere tentauit, inter quæ breuißimum dicitur esse interuallum: quorum fluminum Radantia in Rhenum exit: Alemora uerò in Danubiū. Quamobrem constat, idem cogitasse Carolum & Corbulonem. Sed producta olim fossa à Corbulone, necesse est illam aut incuria temporibusq; aut aliquorum operis & labore redisse ad priorem soliditatem: uel longe diuerso loco Carolum & Corbulonem id tentasse. Constat tamen ex annalibus Frācorum processiße opus Carolo ad trium milliarium longitudinem: deinde inuentum fuisse limum palustrem, quæ nullis operis exhauriri potuit: noctu enim excrescebat abundantius, quàm die multo labore fuisset exhausta. Itaq; rem Carolus omisit.

Incerta Oceani uetarentur. 5

Aliàs, uectarentur.

Mihi uidetur ex se natus. 6

Vt qui seipsum imitetur, sibi constet, sui sit similis, parem non sit sequutus.

Quod lex curiata. 7

Quāuis enim priores Reges Quæstores habuerint: tamen constat, suffragio populi, non uoce principis creatos fuisse. Autor est Iunius Gracchanus, teste Vlpiano.

Qui capitolio, & Ara Romana. 8

Tanquam si dicat, Quid si exoriretur aliquis ex eorum memoria, qui prostratis Capitolio & Ara Romana manibus eorundem. Verum hic desyderatur nonnihil: imperfecta enim sententia est.

Omni

Omni Italia in senatum accitos. 9

Hinc apparet, Italiam non protendi usq; ad Alpes, quando aut de iurisdictione, aut de priuilegijs agitur. quamobrem Tranquillus C. Iulio: Crassum, inquit, Pompeiumq; in urbem prouinciæ suæ Lucam extractos compulit, &c. Idem: Consequutusq; cohortes, ad Rubiconem flumen, qui prouinciæ eius finis erat. Constat autē Iulium Cæsarem fuisse prætorem utriusq; Galliæ: de quo scripsi late in Commentarijs ciuilibus.

Postremo ipsam. 10

Romam intellige, & ciuitatem.

Sed ne Silius summa adeptus. 11

Ita uulgò legitur: in quibusdam tamen codicibus scriptum comperi summam adeptus; *cæterum priorem lectionem magis probo.*

Cuius apud prodigos. 12

Quàm Infamiam, qui prodigunt & profundunt, nihil habēt præterea uoluptatis: nam ut scribit Seneca: Improbarum uoluptatum post ipsas pœnitentia est: uel quibus infames esse cōtigit, nihil superest præter uoluptatem.

Dum industria cubiculum. 13

Quasi intus & domi, uerbo repetito à uetustate. Industrium enim antiqui dicebant indostrium, quasi quicquid ageret intrò strueret, & studeret domi, autore Sext. Alioqui ociosa est hic ea dictio, uel potius abundat.

Quod ei cis Vectium Plancium. 14

Hic locus fœdißimè corruptus est, usque ad ea uerba, An dissidium &c. *Imò aliquid proculdubio deest. Principiò Vectij Plancij mentio nulla est, aut apud hunc alibi, aut apud alios, qui de Claudio scripsere, quantum nunc memini:*

memini: Vectis ualentis infra tamen meminit frequenter, tanquàm indicium offerentis, remq; confeßi. Deinde *quid est, non fuisse eum nunc obiecturum adulteria, ne redderet domum & seruitia? nam si ad Claudium referuntur: cur inquit statim frueretur imo ijs: sin autem ad Silium, aut Messalinam: cur non erat dicturus adulteria, ne redderent hæc principi, quibus auctæ fuissent res principis? Quamobrem omnino desyderatur aliquid, & locus est cõtaminatißimus: ubi nihil aliud poßis, quàm temerè addere, & diuinare.*

Adulto Autumno. 15

Alibi, adulta æstate, *infra legitur: id est, iam prouecta æstate.*

In pretium probri cesisse. 16

Quicquid enim fuerat insigne apud Nerones *&* Dru*sos, ad Silium transtulerat* Messalina*, tanquàm pretium ac mercedem adulterij.*

Decreta Narcisso quæstoria insignia. 17

Decreta *sunt, inquit, insignia quæstoria* Narcisso*: quòd cum esset ille tertius inter libertos, potens gratia apud principem, minimum erat fastigij eius: atq; erant illa quidem decora insignia: per quæ tamen deterrima facien di facultatem* Narcissus *haberet: quia flagitia propter dignitatem uel inulta erant, uel multa: utrunq; enim legi in diuersis codicibus. Quòd autem liberti potentes essent apud Claudium, autor est* Tranquillus*:* His, *inquit, uxoribusq; addictus, non principem se, sed ministrum egit: cõpendio cuiusq; horum, uel etiam studio ac libidine, honores, exercitus, impunitates, supplicia largitus est. Quòd autem*

autem Callistum & Pallantem præponit Narcisso, aliter habetur apud eundem Tranquillum, qui Narcißum & Pallantem tradit fuisse præcipuos, quos amauerit, quibusq́; crediderit. Callisti tamen & Pallantis, ut maximè principi gratorum, meminit Cornel. initio libri sequētis.

EX LIBRO XII.

Consensui imparem. 1

Plus quàm se solum posse consentientem senatum.

Addictum quasi, & uirile seruitium. 2

Venditum matrimonio seruitium uirorum.

Vnde uis Agrippinæ citra ultima stetit. 3

Vis Agrippinæ intra mortem stetit: non adeo incendit eam, ut puniri capite uellet: quia laudauerat princeps furtiua nullaq́; libidine.

Desolatus paulatim. 4

Desolare, est tanquam de solo deijcere. Vergil. Vidimus ingentes & desolauimus agros. Desolatus ergo deiectus est, & demissus. Tacit. infra libro 16. Viduata, desolataq́;.

Sycambri exciti. 5

Hodie Geldrenses esse creduntur: diu habiti socij fratresq́; Gallorum: pro quibus non semel arma mouere Galli in Alemannos.

Et si non prælium. 6

Iccirco læti erant hostes, quòd bellum cum illis gerens perijsset, quamuis prælio non interemptus: & quod dux erat non contemnendus.

Quam

Quem Imperatore genitum. 7

Imperatoris nomine tunc demonſtrabatur, qui cum imperio præeſſet exercitui, nomine tali parto aſſenſu militari, & confirmato à principe, ob res egregie geſtas. Hic *autem ſignificatur* Germanicus, *de quo* Tacitus *ſupra lib.* 1. *Exercitum reduxit, nomenq́; Imperatoris autore Tyberio accepit: Et idem infra libro* 13. *de* Nerone *iam principe poſt* Artaxata *euerſum à* Corbulone: *Ob hæc conſalutatus* Imperator Nero, *&c.* Hæc *autẽ poſtea appellatio transijt in eos, qui potiti rerum ſunt. Soror uerò fuit* Agrippina Caligulæ, *coniunx* Claudij, *mater* Neronis, *unicum ad illam diem exemplum.*

Ne dubitaret armis. 8

Hoc eſt, ne dubitaret malle incruentas conditiones, quàm armis ſcilicet partas.

Ne cæteri quoq; ex Peligno coniectarentur. 9

Ne coniectura Peligni *cæteri idem uoluiſſe crederentur.*

Diſtringit Acinacem. 10

Nemo *eſt qui neſciat eſſe* Medorum Perſarumq́; *gladium, teſte* Horatio.

Defertur ad patres de pœna fœminarum. 11

Hoc dictum fuit Senatuſconſultum Claudianum. *autor* Tribon. *in* Inſtitutio. *titu. de* Succeßionibus *ſublatis, quæ fiebant per bonorum poſſeßionem: & de* Senatuſconſulto Claudiano.

Sanè præbuerant Iudæi ſpeciem motus. 12

De hac eadem ſæuitia Felicis *idem* Corn. *infra lib.* 21. Iu-

dæam

Iæam prouinciam equitibus Romanis, aut libertis permisit: è quibus Antonius Felix per omnem sæuitiam ac libidinem ius regium seruili ingenio exercuit. Sed locus hic corruptus est: nam illud, Cognita cædes eius, *non habet quò se referat: tantum enim abest ut occisus fuerit Fœlix, ut potius causa cognita, absolutus inter iudices steterit: quod paulopòst Corn. tradit. Referri uerò ad motum factum, dum imperaret Caligula, haud quaquam commodè potest. Itaq; si coniectura sit utendum, ita ego legerim: Postquàm cognita sæuitia, cæde eius haud temperatum esset: sed manebat metus, &c.*

Senatus quoque consulto cautum. 13

Ius quidem refertur ab Vlpiano: sed Senatusconsulti nulla mentio est in libris Ciuilibus.

Lege agi. 14

Neq; id mirum, cum loco regum agerent, ut scribit idem Tacitus lib. 17. Quæ uerò sint legis actiones, explicat Pompo. de Orig. iur. Deinde ex eisdem, ait, legibus eodem ferè tempore actiones compositæ sunt, quibus inter se homines disceptarent; quas actiones ne populus ut uellet institueret, certas solennesq; esse uoluerunt. Et appellatur hæc pars iuris, Legis actiones: quamobrem apud eos dicimus esse legis actiones, apud quos instituere possumus actiones ex lege duodecim tabularum, & iure Ciuili ueteri: ideóque apud quæstores minores ac magistratus adoptiones fieri non poterant, quæ ex lege duodecim tabularum constitutæ fuerant.

EX LIB.

EX LIBRO XIII.

Sed neq; Neroni. 1

Sed Nero non tam erat natura demissus, ut seruos magni faceret: & ille tædium sui mouerat.

Vetera & præsentia contendere. 2

Comparare.

Et spe inanium. 3

Etiam ualidus ad spem commouendam inanium rerum, quales sunt, apparatus familiares, uestes, equi, ornamenta, & cætera, quibus uulgus moueri solet, & quibus species inest magni animi: cùm tamen inania sint, & aliena.

Et Vologeses quo bellum &c. 4

Dedit obsides: uel ut qui tunc erat impar bello, pararet interim nulla molestia, quæ æqualem illum redderent: uel ut amoueret suspectos.

Regnum lusu sortientium. 5

Antiquum ergo est, quod quotannis nunc quoq; fit mēse Ianuario à nostris: creatur enim Rex, qui aliquid imperet in formam regiæ dominationis, collusoribus.

Acerba funera. 6

Id est, immatura.

Aut existat qui in urbe. 7

Aliàs, ut existat.

Ille an autor constitutionis fieret. 8

Vt scirent, an ille autor constitutionis fieret, ut pote quæ à paucis postularetur, & sententiæ plurium aduersis: scribit enim supra, Nec deerant, qui censerent, tanquā si consensus senatus aliud decerneret. Deinceps quæ sequuntur

quuntur ita legenda arbitror: Quibuſdam coalitam libertate irreuerentiam eò prorupiſſe frementibus, ut ne æquo cum patronis iure agerent, ſententiam eorum conculcarent: ac uerberibus manus ultrò intenderent, impellerent'ue, pœnam ſuam diſsuadētes. Nam cùm maior eſſet iniuria quàm pœna, ſatis diſſuadebatur uerberibus inferendis, & iniuria laceſſendis patronis. Quid enim aliud inquit, &c.

Quin & manumittendi duas ſpecies. 9

Cicero in Topicis tres ſpecies refert, Cenſu, Vindicta, Teſtamento. Sed ex Cornelio duæ: una, qua libertatē plenam conſequebantur: quæ à Seneca libro de uita beata, iuſta libertas dicitur. Altera, qua non omnino fiebant liberi. Priori ſpecie, hoc eſt, uindicta manumiſsos perpetuo eſſe liberos: ſequenti uerò manumiſsi poterant in ſeruitutem reuocari, tanquam qui poſt libertatem ueſtigia retinerent ſeruitutis. Quæ profectò aliter traduntur in noſtris libris ciuilibus. Erant enim Latini, aut ciues Romani, aut Dedititij: de quibus latè Caius in Inſtitutionibus: quæ omnia temporibus in deſuetudinem abierunt.

Quaſi iure Ciuili. 10

Tanquam uindicatus in ſeruitutem per ius Ciuile: cùm tamen iuſſu principis iudicium factum fuiſſet: quo libertus Paris ingenuus pronunciabatur: hoc eſt, qui natus eſſet ex parentibus ciuibus Romanis, & qui ſtatim ut natus eſſet liber extitiſſet.

Vocare ex Italia cum quibus lege agi. 11

Erat enim auxilium Tribuni extraordinarium: neq; li-

cebat ex Italiá quenquam ad Tribunum uocari, cum quo lege aliqua institui posset actio.

Ius hastæ. 12

Cùm sectio fieret.

Ad retinendam populi fidem. 13

Quod uulgò nostri, Creditum, dicunt.

Vectigal quoque quintæ & Vicesimæ. 14

Ex mancipiorum emptione unum in singula x x v. soluebatur populo: quod translatum in uenditorem, habuit speciem tanquam si remissum esset. Sed cum uenditores charius licitarentur, in emptore uectigal consistebat: erat enim pars precij.

Dùm quæ libidine deliquerant. 15

Dùm furta defendunt largitione spectaculorum.

Vt leges cuiusque publici. 16

Hoc est, ut conditiones publicanorum perscriptæ legibus cuiusq; loci publici, quæ ad id temporis latuerant, diuulgarentur: et qui annum, quo petere ex lege aliquid licebat omisisset, caderet à iure petendi.

Militibus immunitas. 17

Vt militibus immunitas seruaretur: qua uectigalibus non tenebantur, nisi de ijs rebus, quas uenales haberent. V eno *autem dictũ est, ut infra paulopost,* posita ueno.

Germanici regnabant. 18

Aliàs, Germani.

Conuiuali lecto. 19

Vbi cœnans accubabat.

Neque dũ Nero rerũ potiebatur. 20

Non cõgesta nec clausa humo donec Nero regnauit: pòst

pòst domesticorum cura leui tumulo contecta.

Ipse diuersa simulatione. 21

Illi lætabantur palàm: ipse uerò contraria simulatione mœstitiam præ se ferebat: quia tamen, &c.

Oblita insectatione. 22

Aliàs, obita insectatione: *id est insectando ea, quæ facta erant Claudianis temporibus.*

Vel tum mitigata. 23

Regressa labante iam Agrippina: uel tum mitigata cuius.

Subegit donis ingentibus. 24

Effecit, & tanquam impulit donis ingentibus.

Puteoli ius Coloniæ, & cognomentum adipiscuntur. 25

Primò *dictum fuit* Dicæarchia: *deinde* Puteoli: *postremò à* Nerone *impetrauit ius & cognomentum* Coloniæ. *Aliud est autem, habere ius Coloniæ, aliud esse Coloniam: Vicus enim Parauisensium à diuo Seuero ius Coloniæ impetrauit (autor Vlpianus) quo impetrarit, ut immunitatem haberet Coloniæ, etiam milite, colono'ue non deducto: sed Colonias eas cognominabant, quæ deducebantur: illisq; interdum concedebatur, ut iuris Italici essent, interdum minimè.* Puteolis *ergo dedit* Nero *ut* Colonia *cognominaretur, nulla deductione facta: & immunitatē, ius'que haberet* Coloniæ. *quòd si cognomentum ad Neronem referas,* Neronia colonia *dicta fuisset, quemadmodum post incendium Romam nuncupare decreuit* Nicopolim, *et Aprilem mensem Neronium, autoribus Cornelio, & Tranquillo: cùm tamen Neronij cognomentum eius oppidi nusquam legatur. Idem supra de* Londino, *Cognomento quidem, inquit, Coloniæ non insigne:*

signe: hoc est, ut Colonia diceretur. Praeterea *apud hunc non legimus deductionem militum, aut aliquid praeterea simile: cùm* Cornel. *tradat, ueteranos ascriptos* Tarentum *&* Antium: *quod hic, ut arbitror, non omisisset.*

Domitis perduellibus. 26

Domitis *hostibus: nam* Perduelles *ueteribus hostes significabant: testes* Cicero *&* Iurisconsulti. Inde, Crimen *perduellionis, de caede: quia cum ciue iudicio & uerbis, cum hoste armis & manu rem gerimus.* Ex *quo accusatus fuit* Horatius *perduellionis, quia ciuem & sororem interfecisset, auctore* Liuio: *&* C. Rabirius *similiter de caede: de quo extat oratio* Ciceronis *pro* C. Rabirio *perduellionis reo.* Mansit *autem id nomen in nostris libris in eo capite maiestatis, quo tenentur, qui hostili animo sunt in rempublicam, & principem: hoc est, qui caedem principi molitus est: & qui exitium instruxit reipublicae: de quo diffusè scripsi libro secundo* Opinionum.

Breue littus. 27

Non profundum.

Sine iustis armis. 28

Non *planè armatos: erant enim alia alarum, alia legionum arma.*

Vt certus euentus. 29

Quod alibi, euenti, legimus.

Tabularijs quos memoraui. 30

In *tabulis scribebantur testamenta: ideoq;* Primae *sunt dictae, &* Secundae *tabulae: inde* Tabularij *scriptores & obsignatores testamentorum: hoc est, testes: nam neque tunc tabellionibus utebantur, neq; testamēta aliter, quàm*

scrip

scriptura, conficiebantur.

Sortiuntur. 31

Paßiuè, quod perrarum inuentu est.

Nam oblectamentis eius iniquum. 32

Scilicet, esse Senecam.

Auus meus Augustus. 33

Atauum significat, itaq; proximè appellauit. Atauus autem quinto gradu distat, quoto Nero aberat ab Augusto: qui ex Tyberio nepotem Germanicum adoptauerat: ex Germanico uerò nata est Agrippina mater Neronis.

Nisi forte aut te Vitellio. 34

Vitellius ter consul, malis artibus plurimum potuit apud Claudium: à quo, cùm illi pudẽdum in modum adularetur, honores, opesq; maximas assequutus est. Sed cùm inquit, Me Claudio proponis: *malim,* Mihi Claudium præponis: *alioqui nullus bonus elici potest sensus. Nisi ergo, inquit, aut te plus adeptũ esse putas quàm Vitellium, ter consulem, summis hominem opibus; & alterum ferè Imperatorem: aut mihi Claudium præponis, addictum mulieribus, & libertis; & uix mentis compotem.*

Nihil grauius audenti. 35

Nihil esse illi subeundum grauius, si auderet, quàm si segniter, & per ignauiam se trucidari pateretur.

Centurioni & Manipulo. 36

Manipulus constat sexaginta militibus.

Repetitum uenerantur. 37

Iterant honores acclamationibus: quod genus ueneratio-

tionis describitur ab Aelio Lampridio. *Acclamatum*, Au*guste innocens*, Dij *te seruent*: Alexander Imperator, Dij *te seruent*: Dij *te nobis dederunt*, Dij *conseruent*: & *cætera in eandem sententiam.*

Tibicinis Aegyptij. 38

Euceri, de quo supra.

EX LIBRO XV.

Hostiæq; quæ muniebantur. 1

Ordo est, assistens hybernaculis quæ muniebantur.

Vt instantem Corbuloni fateretur. 2

Vel hostem, uel metum ex hoste.

Illum locum, tempusq; consilio destinatum. 3

Deinde *quid de Armenia cernerent adiecisse* Deos: *ubi etiam clauditur, concluditurq; qui sequitur sensus.* Po*stremò, quando à* Dijs *decretum fuit, quid futurum* Ar*menia sit, quam in manu* Parthorum *posuere, cedentibus legionibus* Romanis, *dignum esse* Arsacidarum *uel memoria fœderum, uel commiseratione fortunæ ut etiam de legionibus* Romanis *statueret.* Perinde *est itaq; ut si scripserit, expectare sibi esse in animo fratres, & in id tempus consilium & locũ reijcere: deos adiecisse tamen quid cernerent de* Armenia: *dignumq; esse familiæ nominisq; sui, statuere unà de legionibus* Romanis.

Cæteris criminibus. 4

Malim, certis.

Qualis quisq; habeatur alibi. 5

Quis *unquam ita loquutus est*, Alibi *quàm in ciuium*

iudicio

iudicio: cum Alibi locum *demonstret. Malim igitur, haud quaquam, ut ita legamus:* Qualis quisque habeatur alibi, haud quaquam in ciuium iudicio esse.

Plebi uolenti fuere. 6

Cornelius frequenter utitur hac forma dicendi, sumpta à Græcis. Sallustius item prope finem Iugurthini: Non tam diffidentia futura quæ imperauisset, quàm uti militibus exæquatus cum Imperatore labor uolentibus esset. Græci βουλομένῳ εἶναι, *formare dicuntur.*

Misit auspices duos. 7

Aliàs, missi auspices duo.

Vt totidem annos mensesque. 8

Colligebant enim, tot annos interfuisse inter urbis instaurationem, & incendium hoc, quantum interfuit ab urbe condita incendium eius ab Senonibus factum.

Vanus asimulatione. 9

Vanus in eo, quòd similitudinē suis esse credebat Lucaniq; carminibus: id enim est aßimulatio. Idem suprà: Præterita mala uetustis cladibus aßimulantem.

Ergo Epicharis plura & omnia. 10

Mendum hìc esse arbitror: sed sensus fortasse talis est: Epicharis plura scelera orditur, & omnia facta à principe: ut sit, plura scelera orditur, et omnia principis. Neque senatui quod inane esset prouisum: sed prouisum, quonam modo penes, &c. uulgò enim ita codices habent, Neque senatus quod inane esset, sed prouisum. *Ergo cùm certißima sint, quæ parentur à senatu in exitium principis, accingeretur modo, &c.*

EX LIBRO XVI.

Non falsa ante somnia. 1

Admirans multa se uera per quietem antea uidisse, tunc primum elusus.

Prȩficeret rationibus & libellis. 2

Illud his uerbis significatur, quod libro superiore planius tradidit fuisse obiectum Torquato Syllano, quòd nobiles haberet, quos ab epistolis, & libellis, & rationibus appellaret: nomina & meditamenta summæ curæ.

Inducit. 3

Aliàs, inducti.

Decretumq́ꝫ, ut more maiorum puniretur. 4

Neroni cum quæreret, quid esset, More maiorum, responsum est, Nudi hominis ceruicem inseri furcæ, corpusq́; uirgis ad necem cædi. autor Tranquillus.

Iunius Germanici uocabulis. 5

Malim, Iulius: sequitur enim, Ideo Iunium transmissum.

Seu uitiorum inuitationes. 6

Aliàs, Imitationes.

Ad facienda pericula. 7

Alijs descriptis, obsignatisq́;.

Quid mirum è longinquis prouincijs adueniri. 8

Alibi, Non adueniri.

Nisi contra instituta. 9

Id est, nisi ex ciue hostis, proditorq́; palàm factus sit.

EX LIBRO XVII.

Hunc fuisse primum librũ Annalium Cornelij, semper sum

Hoc sine dubio verum est, et eius rei argumentum indubitatum reperias, si legeris Tertulliani apologeticum.

sum suspicatus: illumq́; , blandiente posteà profectu, longius ductis initijs, ad Augusti exactum Imperium, calamum retulisse. Nam *si pars hæc fuisset posterior, haud tam multa illi repetenda fuissent, & perscribenda: tanquã aditum factura ad historiam: nec ipse*, Initium operis, *incepisset: &*, Opus aggredior, &c. *Liuius quidem in parte præfatur: sed ita, ut coniungere cum præcedentibus posteriora scripta intelligas. Verumtamẽ idem* Cornelius *indicare diuersum uidetur: paulò enim infra ait:* Quippe T. *filium ad uenerationem cultumq́; eius miserat, ut suo loco memorauimus.* Nisi *ibi malis, memorabimus (facili lapsu unius literæ, quæ promiscua interdum est) & ad initium sequentis libri referas.*

Multi ad hæc & innumeri. 1

Aliàs, Milites ad hoc innumeri.

Magna adulteria. 2

Magnarum, nobiliumq́; familiarum adulteria.

Seruorum manus subitis auidæ. 3

Ad ea auferenda, quæ subito fortunæ munere obuenerũt.

Quoties expedierat. 4

Quoties expeditiones ageret: ut ad illud referatur: Nimiæ uoluptates cum uacaret.

Ignaram magistratuum domi. 5

Quæ nullos unquàm habuisset, nouisset'ue magistratus, nisi externos: assueta Regibus *planè parere.*

Anulis donatum equestri nomine. 6

Neminem latet, ex constitutionibus seruum qui donetur anulis aureis, imaginem ingenuitatis consequi, non

bertinis

esse ingenuum: nam Diocletianus & Maximinus Imperatores in hæc uerba Eumeni rescripserunt, Aureorum usus anulorum beneficio principali tributus, libertinitatis quo ad uiuunt imaginem, nõ statum ingenuitatis præstat. Prioribus tamen constitutionibus plenam atq; perfectam præstabant ingenuitatem. Vlpian. Si ius anulorum, inquit, accæpit, puto eum reuerentiam patrono exhibere debere: quànuis omnia munia ingenuitatis habeat. Idem alibi: Etiam si ius anulorum aureorum consecutus sit libertus à principe, aduersus huius tabulas uenit patronus, ut multis rescriptis continetur: hic enim uiuit quasi ingenuus, moritur quasi libertus. Supra ætatem uerò Alexãdri Seueri, uel saltem temporibus Taciti, ius anulorum ad equestrem dignitatem spectabat. Tranquillus in Galba de hoc eodem Icelo: Icelus pauloante anulis aureis, & Martiani cognomine ornatus, ac iam summæ equestris gradus candidatus. Idem de Asiatico: Primo imperij die aureis donauit anulis super cœnam: cùm mane rogantibus pro eo cunctis detestatus esset seuerißimè talem equestris ordinis maculam. Tacitus lib. seq. Postulante exercitu ut libertum suum Asiaticum equestri dignitate donaret: inhonestam adulationem compescuit: dein mobilitate ingenij, quod palàm abnuerat, inter secreta conuiuij largitur, honorauitq; Asiaticum anulis.

Non tam unum aliquem fouebant. 7

Non tam hũc aut illum, quàm quẽcunq; præter Othonẽ.

Augustus in domo successorem quæsiuit. 8

Id est, Augustus quæsiuit inter suos, inter propinquos, inter

inter eos qui sui nominis atq; gentis essent: ego inter ciues & in republica.

Miseriæ tolerantur. 9

Feruntur quoquomodo.

Vnius familiæ. 10

Claudiæ, scilicet.

Adoptandi iudicium integrum. 11

Proprium, liberum, non commune cum fortuna: & si uolueris eligere, inde cognoscitur, quòd cõsensus omnium sequitur eligẽtẽ: plærũq; enim electio est pluriũ, et optimi.

Ab æstimantibus asciti. 12

Qui iudicio id fecerunt.

Cogitare quid sub alio. 13

Vel debes, uel cogita.

More diui Augusti. 14

Malim, exemplo diui Augusti, & more militari.

At illis uix decumæ super portiones erant. 15

Id est, uix decumæ portiones supererant.

Inquieta urbs actionibus. 16

Malim, auctionibus.

Principalis matrimonij. 17

Id est, matrimonij principis. Similiter libro sequenti, principalẽ paratũ dixit: & fortunæ principalis insignia.

Per speciem conuiuij. 18

Quasi partem de conuiuio daret.

Redemptoribus. 19

Redemptores sunt, qui suis cæmentis, suoq; labore ædificant, constituto pretio. autor Vlpianus.

Qui mihi plurimum imputet. 20

Quis plus pro me contendat, meq; sibi plus obnoxium

xium reddat opera gratiáq; sua, & plus pro me nitatur. *Idem infra libro proximo: Neq; enim erat adhuc cui imputaretur.*

Ad posterum uel odio. 21

Aliàs, ad postremum.

In quibus sordem & auaritiam mutauerat. 22

Aliàs, notauerat.

Dextras hospitij insigne. 23

Idem infra lib. proximo: Centurionemq; Sisennam dextras, concordiæ insignia, Syriaci exercitus nomine ad prætorianos ferentem uarijs artibus aggressus est.

EX LIBRO XVIII.

Paphiæ Veneris templum. 1

In Palæpapho illud erat promontorio: longe à Papho stadijs LX.

Quidam ipsius Deæ nomen id perhibent. 2

Aëriæ Veneris nomen nusquam legi: Acreæ Veneris templum est in monte prope Carpasiam, cui summo nomen Olympus: quod nec adire nec uidere mulieribus licet. autor Strabo.

Cum in uictores uictosq;. 3

Placuit expectari belli Othoniani exitum: quoniam utrinq; mota magna mole armorum, pax nunquàm certa erat futura uictoribus & uictis.

Mixtis paganis. 4

Pagani à pagis, dicti sunt qui ibi habitant, aut inde sunt oriundi, etiam si urbes colant nō recepti in ciuitatem

nullo

nullo propè numero, & plebei. Cicero pro domo sua: Nullum est in hac urbe collegium, nulli pagani aut montani. (Quoniam plebi quoq; urbanæ maiores nostri conuenticulas, & quasi concilia quædam esse uoluerunt) qui non amplißime non modo de salute mea, sed etiam de dignitate decreuerit. *Suetonius Augusto:* Pinarium equitem Romanum cum concionante se admissa turba paganorum apud milites subscribere quædam animaduertisset. *Ideoq; i. eodē libro Prætorianos milites Paganos appellat, quòd Vicani urbem colerent: hìc uerò demonstrantur pagorum incolæ. In libris uerò nostris ciuilibus Pagani sunt, nō milites: quod unde ductum sit diximus alibi.*

Obtentui fugientibus. 5

Causa & excusatio fugientium.

Bracchas tegmen barbarum. 6

Apparet Bracchas esse uestem: nam quas uulgò Bracchas hodie appellamus, Latini dixerunt Feminalia, à feminibus. Tranquillus Augusto.

Omnia quæcunq;. 7

Rarum hoc apud Latinos.

Recens castris. 8

Qui recens è castris egrediebatur. Cice. Recens Roma.

Cum utrinq; tentasset. 9

Aliàs, utrunq;.

Rursus consiliaturi. 10

Aliàs, consulturi.

Vt diplomata Othonis. 11

Edicta significat, & mandata principis cuiusq; modi sint: id enim Diploma est, quòd duplicato contineri soleret aut lino, aut alia materia: referturq; ad tesseram cursoriam:

ſoriã, quo ſignificatu paßim accipitur in noſtris libris, ut in li. 12. C. de Curſu publico, & alibi. Hic uerò tam curſoriã teſſerã, quàm edicta ad naues, cõmeatus, et cætera tẽporaria pertinẽtia, cõtinetur: quæ labentibus Othonianis partibus negligi cœperũt. Eadẽ ſignificatione accipitur paulò infra: Diplomatibus nullũ principẽ præſcripſiſſet.

Per ſilentium audierunt. 12

Conſueuerunt enim benè ſentientes milites, acclamationibus preces adiuuare.

Nam qui deliberant deſciuerunt. 13

Dubitatio enim, ut ſcribit Cicero, cogitationem habet iniuriæ.

Quæ apud Vitellium excuſanda erant. 14

Id eſt, poſſe Veſpaſianum ijs obligari, quæ contra Vitellium, etiam non pro ſe, facta fuerant.

Tam fruſtra quàm recuſauerat. 15

Auguſtum nomen religioſum fauſtumq; eſt. Tranquillus Auguſto: Præualuit ut Auguſtus potius uocaretur: nõ tantum nouo, ſed etiam ampliore cognomine: quòd loca quoq; religioſa, & in quibus augurato quid cõſecratur, auguſta dicantur ab auctu, uel ab auium geſtu, guſtu'ue: ſicut etiam Ennius docet ſcribẽs: Auguſto augurio poſtquàm inclyta condita Roma eſt. tam fruſtra ergo aſſumpſit nomen fortunati & boni ominis, quàm fruſtra recuſauerat: coẽgit enim uulgus ut acciperet.

Quod non ex præpotentibus. 16

Fuit Thraſea ſemper ſuſpectus Neroni. Ideoq; minus potens: quamobrem merito imprudentiam æmulationis irriſerunt:

irriserunt: ita enim malim, quàm impudentiam:*nam si similiter Vitellius olim se opposuit Thraseæ, quemadmodum Heluidius illi: opportuit Heluidium fuisse Vitellij similem, Thraseam uerò Heluidij. Sed Thrasea in summo potius odio fuit Neroni, & Vitellius ob similitudinem morum, & propter patrem, in summa gratia. Imprudenter igitur contulit Thraseam, & Heluidium, &c.*

Quod reuersis ab exilio iura libertorum. 17

Ius patronis dederunt leges ueteres amplum & multiplex in libertos: obsequium enim præstare tenebantur, & operas: aliter tamen, atq; aliter si essent officiales operæ uel obsequij: item alendi libertis erant patroni egētes. Modestini uerba sunt: Cum probatum sit contumelijs patronos à libertis esse uiolatos, uel illata manu atrocius esse pulsatos: aut etiam paupertate, uel corporis ualetudine laborantes, relictos: primum eos in potestatem patronorum redigi, & ministerium præbere dominis cogi: sin autem nec hoc modo admoneantur, à præside emptori addicantur, & pretium patronis tribuatur. Ex quibus puto facile intelligi, quid senserit Cornelius: nam cum exulibus quibusdam bona ablata fuissent, & ius in libertos: ijs ab exilio reuersis, iura libertorum Vitellius concessit: hoc est, inter cætera ut alere patronos egentes tenerentur: quod tamen corrumpebant ingenia seruilia abditis pecunijs, &c.

Sumptu Caianæ aquæ. 18

Quid hic sibi uelit sumptus Caianæ aquæ, haud quaquàm intelligo: deinde quid sumptus ad aquam facit. malim

lim ergo, Caianæ aulæ.

Suo met ſtatu occultati. 19

Malim, ſuo met aſtu.

EX LIBRO XIX.

Cæterum ut tranſmitteret in Italiam. 1

Vulgò in fine periodi legitur, credebat. *itaq; ſenſus eſſe poterit: Cæterum credebat aſcriptum & deſtinatum ſocium Aponio reuireſcere partes Veſpaſiani iterum ſequuturo, ut impunè, tutoq; tranſiret in Italiã, ibiq; utilitati eſſet Vitellianis. Supra enim inquit, Profugus, deinde ſponte remeauerat, perfidiæ locum quæſiſſe credebatur.*

In Veronenſibus pretium fuit. 2

Id eſt, in Vicentinis ſpecies fuit, in Veronenſibus utilitas.

Mox omiſsis lictoribus. 3

Erat hic legatus Mæſici exercitus, & tamen lictores habebat.

Totis caſtris in fama proditio. 4

Tanquàm in ore, in ſermone, in notitia hominum.

Et militibus principem auferre. 5

Malim, etiam milites auferre: *primùm, quia princeps reipſa nõ auferebatur militibus, ſed milites principi: deinde ut cõueniant quæ ſequũtur*, licet integros incruentosq́.

Forte uicti. 6

Neminem, qui diligenter animaduertat, negaturum arbitror, quin hic deſyderetur aliquid: ſupplendũ autem nihil

nihil duxi, adiutus nullo codice.

Currari sumpsissent arma. 7

Aliàs, cur rursus.

Cum teporem incusaret. 8

Cùm non tepere quereretur.

Cui ciues, socij, externi interessent. 9

Qui constaret ex ciuibus, & socijs, & externis.

Nobili gaudio Blæsum uisendo. 10

Fecit ut crederetur facinus, quòd Blæsum uisit gaudio nobili, id est, eminente, illustri, manifesto.

Decoris securos. 11

Id est, omnia agentes sine cura decori, & honesti.

Simul cæterorum fides metu intacta. 12

Et à cæterorum tentanda fide metu abstinuit.

Non sine motu adiunxit cæterarum. 13

Scilicet, legionum.

Ius hominum. 14

Ius, quod gentium dicitur: quod apud omnes homines natura duce peræque custoditur: quod Cicero ius naturæ nominat.

Quoties pars altera inclinasset. 15

Sensus est, quoties pars altera inclinasset, & propterea abderetur in tabernas, & in domos: postulabat populus eos erui domibus & tabernis, ac iugulari. quamobrem militibus in sanguinem & cædem uersis potiebatur populus maiore parte prædæ. Dictum est autē, Pars altera

d abditi:

abditi: *eadem forma, qua alibi*, Maior pars ruebant in prælium.

Sed imputare perfidiam non possunt. 16

Id est, prætendere non possunt, quod perfide egerunt, se communis commodi cogitatione perfecisse.

Præcipiti in occasum die. 17

Tanquàm ruente in occasum. Notissimum *enim est* præcipitem *ferè de omni re dici posse.*

EX LIBRO XX.

Priscus regione Italiæ. 1

Deest secunda: *in* XI. *enim regiones diuisit Augustus Italiam.*

Asiaticus enim is libertus. 2

Libertus hic fuit gratissimus Vitellio. Tranquillo, & Cornelio autoribus.

Nec opibus Romanis attriti societate ualidiorum. 3

De *his idem Corn.lib.Vlti.Respicerent Rhetios, Noricosq;, et cæterorum onera sociorum: sibi non tributa, sed uirtutes & uiros indici.Ergo sensus est, nec à Romanis attriti opibus, quod ualidioribus socijs euenit: uiros tantum &c.*

Simili oris dehonestamento. 4

Liuius de Annibale: Vigilijs tamen, & nocturno humore, palustriq; cœlo grauante caput, & quia medendi nec locus, nec tempus erat, altero oculo capitur. Vulgoq; id ita accipitur, ut oculum amiserit Annibal. Ideoq; Iuuenalis

nalis: Portaret *bellua luscum.* Cæterum *Aemylius* Probus, *autor non spernendus :* Hoc *itinere, inquit, adeo graui morbo afficitur oculorum, ut postea nunquàm dextro bene usus sit.* Dicitur *autem,* Captus *oculis, ut* Captus mēte, *& qui mente caret ac oculis : & qui mente oculisq; non bene utitur:uno tamen caruisse oculo* Annibal *ferè creditur ab omnibus,& duces præterea bellicosißimi* Antigonus, Philippus, Annibal, Sertorius.

Traditore. 5

Proditore.

Cœptatam libertatem. 6

Capi incœptam.

Mare aggreſsi. 7

Aliàs, Ingreſsi.

Neq; aliud excuſandum habeo. 8

Aliàs, accuſandum.

Vim reſponſi ex nomine Baſilidis. 9

Hoc *est futurum se* Regem, *quia* Basilidē *uiderat:nam* Βασιλεύς, *Græcis rex est.*

EX LIBRO XXI.

Priuatis utriuſq; rebus. 1

Cùm neq; Vespasiānus *princeps,neq;* Titus *Cæsar esset.*

Vt ſuperior ſui iam crederetur. 2

Vt *seipsum uirtute uinceret factus* Imperator.

Carminibus Homeri celebratam gentem. 3

Strabo *lib.*1. *&* 12. *citat & refert hæc carmina ex* Iliade &

ade & Odyssea.

Conditam urbem Hyerosolymam nomine suo fecisse. 4

Ordo: & sensus est: urbem conditam fecisse Hyerosoly*mam nomine suo, id est, appellasse.* Dixit *autem nomen facere, pro eo quod est, imponere.*

Admixto nitro in uitrum excoquitur. 5

Admixto uitro, *legendum est, autore* Plin. *lib.* 37. Fama *est, inquit, appulsa naue mercatorum nitri, cùm sparsi per littus epulas pararent, nec esset cortinis attollendis lapidum occasio, glebas nitri è naui subdidisse, quibus accensis permixta harena littoris, translucentes nobilis liquoris effluxisse riuos, & hanc fuisse originem uitri.*

Drusilla Cleopatræ. 6

Progener *ergo erat* Antonij, *cum maritus esset neptis* Antonij *ex* Cleopatra: Claudius *uerò natus ex* Druso & Antonio *minore,* Nepos *fuit* Antonij. Indignatur *itaque* Cornelius *eiusdem* Antonij *fuisse progenerum* Felicem, & *nepotem* Claudium: *illum libertum, hunc uerò principem* Romanum, *utrinque ex nobilißimis familijs genitum.*

ERRATA

Pagina 16. uerſu penult. ſic lege: Fomenta, inquit, uulneribus nulla iuſſu ſuo. Sed quia cætera palàm uana &c.

Pag. 26. uerſu 14. lege, qui nullis. Et uerſu 16. lege hauſtus.

Pag. 29. uerſu 16. lege, fortuito, nullaq́; &c.